

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843, enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0153

0151

0157

0147

0162

0142

0202

0102


0252

0052

0652

Ende

Anfang



142

sive pro decimis. Ad sacerdotes de Anathot est specialis prophetia, ut patet Jerem. c. 11. Cum ergo Anathot vidissemus in ruinis, quas tamen vix deprehendere poteramus, reversi sumus in Jerusalem, et per portam S. Stephani ingressi loca sancta per civitatem deosculantes in montem Syon devenimus.

Nona die, quae erat sabbathum et vigilia S. Laurentii, mane ante ortum solis transivi cum fratribus aliquibus in vallem Josaphat ad ecclesiam sepulchri beatissimae Virginis Mariae, et ibi divina celebravimus. Omni enim sabbatho mittit pater Gardianus aliquos illac ad celebrandum, et frequenter solitus fui cum eis ire. Missis finitis ascendimus montem Oliveti, et ab alia parte descendimus in Bethaniam, et ibi visis et deosculatis locis sanctis reversi sumus in montem Syon, quo cum venissemus, invenimus omnes dominos peregrinos in monasterio congregatos, qui me exspectabant, ad dandum responsa cuidam Mamalucco, qui sibi omnes peregrinos praesentari mandavit, ut cum eis conferret de certis (E). Auditum enim fuerat in curia domini Soldani in Chayro, quod peregrini Christiani de occidente viri potentes et nobiles essent in Jerusalem, et ideo hunc Mamaluccum, Christianorum Trutschelmannum in Chayro, misit de Aegypto ad explorandum, qui essemus et unde venissemus, et in commissis habuit, si de regno Franciae essemus, quod captivos nos duceret in Chayrum; quae caussa illius fuerit, ignoro. Sed cum a Sabbathytanco, nostro Trutschelmanno, audivisset, quod de Francia non essemus, venit cum eo in montem Syon, et sisti nos sibi mandavit, pacificeque nos salutavit verbis latinis et italicis: et si, inquit, placet vobis, descendatis mecum die crastina in Aegyptum via regia, et in decem diebus erimus in Chayro, et inde transmittam vos cum salvo conductu in Arabiam ad montem Synai, a quo reversi ad me in domo mea manebitis, quamdiu volueritis. His verbis et aliis bonis promissionibus tantum nos movit, quod omnino cum eo recessissemus, si res et negotia nostra fuissent aliquo modo disposita, in nullo enim adhuc dispositionem feceramus necessariam ad hoc iter. Gratias autem egimus viro de sua benigna exhibitione, et rogavimus eum, quatenus cum Deo comite de monte Synai in